

FRANCISCI PATRICII
PANAUGIAE
LIBER SEPTIMUS
DE COELESTI LUCE, ET LUMINE.

Supra purum aerem fere totum illuminatum, veteres æthera esse dixere. De cuius quidem essentia comodiore loco disquiretur. Nunc de luce eius et lumine, et perspicuitate, sermo esto. Communis philosophantium opinio, et fuit, et est, ætherem, quem et cœlum appellarunt, esse translucidum et diaphanum; et nos quoque in eam descendimus sententiam; non tam quia lumen receiptet a Sole, a stellis, quam quod umbræ terræ conum in se admittat in dies. Quæ res liquido appatet in Lunæ eclipsibus. Quæ cum aliquando toto corpore eum conum incurrat, necesse est tantam eius umbræ ibi esse latitudinem, quanta eam capere totam queat. Supra quam latitudinem necesse est apicem multo supra Lunam ascendere: finiri que vel in Mercurii orbe, vel etiam, (ut astrologorum quorundam est opinio) in orbe Veneris. Itaque si Lunæ, si Mercurii, si Veneris quoque orbes, terræ tenebras admittunt, cur non etiam orbes alii, Solis, Martis, Iovis, Saturnique eas admittere queant, si tam alte, ea umbra scandere posset? Nam vel tota ea regio, unum corpus ac continuum est, ut multorum fert opinio, ut unus et continuus est aer (de qua re postea) vel est in plura corpora et orbes plures divisa, qui singulos ferunt planetas.

Si unum continuumque sit, unius quoque verisimile est esse naturæ. Quod concesserunt ii quoque, qui in plures orbes eam regionem dividerunt. Itaque si unius est naturæ et pars eius umbræ conum admittit, totam quoque eam natura admittere posse ratio verissima persuadet, si modo eo umbra terræ porrigatur. Sed quod terræ umbra facere non potest ob eius brevitatem, et quia in Veneris regione desinit; cur non credatur, Lunæ corpus opacum, in superiorem sua regionem, suam umbram posse iacere?

Corpus lunæ profecto, esse opacum, et umbram facere, Solis eclipses faciunt manifestum. Solem enim opacitate corporis sui, visui nostro occulit. Quæ experientia, ostendit, quod nemo tamen, aut veterum, aut neotericorum, quod nos sciamus adnotavit: Lunæ corpus umbram suam iacere in ætherem superiorem, tempore quidem omni, præter quam in coniunctione cum Sole; et maxime cum est plena.

Quo usque autem coni eius apex pertingat, aut pertingere possit, ex corporis lunaris magnitudine ratio subduci potest. Namque eius umbram in Solis eclipsi, ad terram usque porrigitur; non quidem apice, sed latitudine tanta, ut terræ superficiem ad millia passuum multa obumbret; et apex eius si terram transpica esset, totam eam pertransiret, et in aeris regione ad millia passuum itidem multa desineret. Tantum ergo spacii in superos cœlos in plenilunio, luna umbram suam proiicit. Est autem, a luna ad terram usque distantia, uti Astrologi autumant millia pass. 109056. quibus addantur pass. mill. 3500. alterius nimirum terræ semidiametri in partem oppositam pass. mill. 112.556. Finiretur autem in regione. Hæc de terræ et Lunæ umbra in ætherem admissa, quæ convincit ætherem quoque esse diaphanum. Admissa enim umbra, necesse est lumen quoque admitti. Nam de solo lumine, non est admodum certa ratio. Si namque argumentemur diaphanum esse æthera, quia lumini stellarum, tum superiorum, tum inferiorum dat transitum, id potius tenebris tribuemus, quam lumini. In tenebris enim, siderum luces conspiciuntur, non lumina, quæ in lumine non cernuntur, nisi rarissime, et non omnes, sed propiores, nimirum Venus forte sola. Solis vero lux Solis etiam in lumine conspicitur, et radios eius, et lumen ex eis emissum inferior Sole regio suscipit, et ad nos usque porrigi sinit. Sed hæc arguunt, regionem ætheris, Sole inferiorem tantum esse perspicuam, superiorem vero minime. Lucis enim visioni superiorum siderum, superior dare transitum arguitur, non autem eorum lumini. Qui vero dixerunt superior res stellas a Sole lumen suum accipere, non videntur id vere satis tradidisse. Concesso enim hoc quod omnibus, tum philosophis, tum Astronomis